



Vantum in Scholis inferioribus consveta docendi methodus à rectitudine deflectat, haud difficulter animadvertere poterit, quisquis exactioris judicii staterà tūm perversam & ingeniorum indoli prorsus repugnantem ejus rationem , tūm effectūs aut efficaciæ, qua pollet, inanitatem perpenderit. Nam ut (imitatione Scholaruni) *ūte egypte hīc committam*, quis exiguum illum ex hac methodo fructum , quem hactenus experti sumus, non mirabitur , eumve tūm ingeniorum modernorum vivacitate, tūm expectatione publici , multò minorem non æstimabit, ubi secum reputaverit, Veteres ad Aristotelem usque claros, antecessorum suorum laboribus aliisque studiorum subsidiis, quibus hodie gaudemus, destitutos, naturæ ductu, tām brevi spatio temporis, inter operas ad vitæ sustentationem à plerisque simul exercitas, tantum Scientiarum solidis demonstrationibus acquisivisse, quantum Scholastici citerioris ætatis, oppositâ methodô, longissimo tempore, maximoque studio, nullis districti laboribus, tot externis ad studia faciliùs tractanda subsidiis, præsertim chartis expeditioribus & arte typographicâ simul adjuti, saltem quoad terminorum explicaciones , vix memoriâ complecti, nedum digno quodam invento superare, per tot secula potuerunt.

Quod perversam ejus rationem concernit , quis est, qui non videat, si methodus, quâ Veteres naturæ ductum *xacte* & *exacte* seqvuti sunt, cum vulgari comparetur, Scholas horum Seculorum, ut breviter dicam, equos jungere post temonem : *Grammaticam* enim , *Rheticam*, *Poëticam*, *Oratoriam* & *Logicam*, ultima Veterum inventa , quæ subtili quodam artificio conceptus & verba de rebus, sed aliunde jam præcognitis, digerunt, & ultra statum simplicem, quem natura suppeditat, abstractione mentis in speciosum ordinem redigunt, primô statim locô, rudibus adhuc & ab omni rerum copiâ vacuis inculcant mentibus: à *Physicæ* verò primordiis, quæ sub manibus nostris ultrò versantur, à *Mineralium* nempe, *Plantarum* & *Animalium* observationibus, quibus materialia Scientiæ naturalis utiliter , & jucundè se teneris insinuant mentibus, quantum consueto rigore possunt, vix tamen, retrahunt eò naturâ propensos pueros. *Mechanicæ* specimi-na